



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum etiam sancti homines non sacerdotes claves habeant? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

*Vtrum etiam sancti homines, non sacerdotes, clauis
vel usum earum habeant?*

75

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod etiam sancti homines non sacerdotes, usum clauium habeant. Absolutio enim & ligatio, quæ fit per clauis, efficaciam habet ex merito passionis Christi. Sed illi maxime passioni Christi conformantur, qui per patientiam, & alias virtutes Christum passum imitantur. Ergo videtur, quod etiam si non habent sacerdotalem ordinem, possint ligare & soluere.

¶ 2 Præterea, Heb. 7. dicitur, Sine vlla contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur. Sed in spiritualibus, secundum August. * hoc est maius esse, quod est melius esse. Ergo meliores, qui scilicet plene de charitate habent, possunt alios benedicere absol- uendo; & sic idem quod prius.

SED contra, Cuius est potentia, eius est actio, secundum Philosoph. * Sed clauis quæ est potestas spiri- tualis, est tantum sacerdotum. Ergo & vltus eius non nisi sacerdotibus conuenire potest.

RESPONDEO dicendum, quod agens per se, & agens instrumentale in hoc differunt: quod agens in- strumentale non inducit in effectum similitudinem suam, sed similitudinem principalis agentis. Princi- pale autem agens inducit similitudinem suam. Ideo ex hoc aliquid constituitur principale agens, quod habet aliquam formam, quàm in alterum trans- fundere potest. Non autem ex hoc constituitur agens instrumentale: sed ex hoc, quod est applicatum a prin- cipali agente ad effectum aliquem inducendum. Cuius ergo in actu clauium principale agens sit Christus, Deus, per auctoritate; & vt homo, per meritum: ex plenitudine diuinæ bonitatis in eo, & ex perfectione gratiæ, consequitur quod possit in actum clauium. Sed homo alius non potest in actum clauium per se agens: quia nec ipse alteri gratiam, qua remittuntur peccata, dare potest; nec sufficienter mereri.
ideo

*lib. 6. de
Trinit. c.
8. circa
med. to. 3*

** lib. de
somno &
vigilia,
c. 1. ante
med.*

ideò non est, nisi sicut agens instrumentale. Vnde & ille qui effectum clauium consequitur, non assimilatur vrenti clauibus, sed Christo. Et propter hoc quantumcumque aliquis habeat de gratia, non potest pertingere ad effectum clauium, nisi applicetur ad hoc quasi minister, per ordinis susceptionem.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut inter instrumentum & effectum non exigitur similitudo secundum conuenientiam in forma, sed secundum proportionem instrumenti ad effectum: ita etiam nec inter instrumentum & principale agens. Et talis similitudo est in sanctis hominibus ad Christum passum: & talis similitudo eis vsum clauium non confert.

Ad secundum dicendum, quòd quamuis purus homo non possit alteri ex condigno mereri gratiam, tamen vnus meritum potest cooperari ad salutem alterius: & ideò duplex est benedictio. Vna quæ est ab ipso homine puro, sicut merente per proprium actum: & talis potest fieri à quolibet sancto, in quo Christus habitat per gratiam: & hæc requirit maiorem bonitatis, ad minus in quantum huiusmodi. Alia est benedictio, qua homo benedicit, vt benedictionem quæ est ex merito Christi, instrumentaliter alicui applicans: & quantum ad hanc, requiritur maioritas ordinis, & non virtutis.

ARTIC. V.

76

Utrum mali sacerdotes vsum clauium habeant?

lib. 5. de bapt. cõs.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quòd mali sacerdotes vsum clauium non habeant. 1o. enim 2o. vbi vsum clauium Apostolis traditur, Spiritus sancti donum præmittitur. Sed mali non habent Spiritum sanctum. Ergo non habent vsum clauium.

Donatist. c. 21. circa fi. 10. 7

¶ 2. Præterea, Nullus sapiens Rex dispensationem sui thesauri, suo inimico committit. Sed vsum clauium consistit in dispensatione thesauri cœlestis Regis, qui est ipsa sapientia. Ergo mali qui per peccatum sunt eius hostes, non habent vsum clauium.

Et referatur de cõsecr. d. 4. c. Quomodo exaudit. c. 9.

¶ 3. Præterea, Aug. ¶ dicit, quòd sacramentum gra-

Mag. sct. d. 19. §. B

M 4 tia,